

*Iustior tu es, quam ego* ». *Menoel*. « i. e. ego iniustus, tu vero iustus ». Ubi e duobus litigantibus unus altero iustior pronuntiatur, non eo ipso eius adversarius iustus declaratur, cf. Gen. 38, 26. Iam Deus per ipsum Saulis os Davidis causam vindicare (v. 16) aggreditur. « *Tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala* ». v. 19 « *Et tu indicasti hodie, quae feceris mihi bona : quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, et non occideris me* ». Clarius secundum *Hebr.* : *Et tu demonstrasti mihi hodie, quod tribueris mihi bona (v. 18), quoniam, cum tradidisset me Dominus in manum tuam, non occidisti me*. Mihi hodie parcendo demonstrasti, falso te insidiarum accusari, teque semper antehac bene mecum egisse. v. 20 « *Quis enim, cum invenerit inimicum suum, dimittit eum in via bona?* » *Via prosperitatis* opponitur viae mortis, vel simili expressioni. Saul evolvit argumentum v. 19 enuntiatum : exinde, quod David regem in spelunca dimiserit, sequitur, eum non esse inimico in illum animo, sed potius « tribuisse illi bona ». « *Sed Dominus reddat tibi vicissitudinem hanc pro eo, quod hodie operatus es in me* ». *Vicissitudinem*, i. e. *beneficium (Hebr.)*. LXX : *Si quis invenerit inimicum suum, et dimiserit eum in viam bonam, reddet ei Dominus beneficium, sicut tu hodie operatus es in me*; sed ultimum incisum ostendit, falso ita construi sententiam. v. 21 « *Et nunc, quia scio, quod certissime regnaturus sis, et habiturus* », *Hebr. et stabilendum sit*, « *in manu tua regnum Israel* »; *Hebr. LXX Chald.* initio v. 22 repetunt et *nunc* — v. 22 « *iura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei* ». Unde illa Sauli certitudo suboritur? ex chlamydis abscissione, quae ex 15, 28 significatione est « regni amputatio » (*Isid.*). Absciderat Saul summitatem pallii Samuelis; ex facto Davidis praescidentis oram chlamydis, infert eundem successioni regni destinari. Acedebant alia utique indicia, dum observata. Qua re perspecta, rex illico suae posteritati prospicit, uti 20, 15 fecerat Ionathas. Ab obligatione praestitii iuramenti solutus est David, resumpta cap. 26 a Saule persecutione; accessit divinum contra domum Saul oraculum 2 Reg. 21; tamen promissis stetit David catenus, quatenus pepercit Miphiboseth, filio Ionathae. v. 23 « *Et iuravit David Sauli. Abiit ergo Saul in domum suam, et David et viri eius ascenderunt ad tutiora loca* », ad loca *inaccessa (Hebr.)*. Ergo parum fidebant Saulis animo versatili. Non tamen ignoranda est diversa lectio *Syr.*, כַּעֲרִידָה pro כַּעֲרִידָה : *ascenderunt Maspham*, se. ad sacrificium pacis et reconciliationis offerendum. Qua cum lectione concordat, quod David 25, 1 dicatur mortuo Samuele rursus in desertum se recepisse, sive ex Maspha, sive probabilius ex Bethlehem, quo fortasse a sacrificio se receperat.

b David tollit hastam et scyphum Saul 1 Reg. 25, 1-26, 25.

Praemittuntur nuptiae cum Abigail contractae, tamquam redintegrati odii occasio.

ANC. — David a Nabale, dum is tendendorum gregum festum ageret, spretus contra illum cum armata manu nec opinantem procedit; cui in via annonam dono offerens occurrit Abigail, prudens viri uxor, cumque, ut vindictae renuntiet, demulcet. Nabale brevi post subita morte sublato, Abigailem David uxorem ducit, qua re incensus Saul ad pristinas redit inimicitias.

Quo fine historia Abigail narretur, ex ultimo eiusdem patet versu, ubi, post commemoratas v. 43 duplices Davidis nuptias : « Saul autem », pergitur, « dedit Michol, filiam suam, uxorem David, Phalti, filio Lais, qui erat de Gallim ». Videtur igitur (*Malv.*) ex illis ipsis nuptiis revixisse Saulis aversio, quasi David Saulis filiam uxorem deseruisset. Unde Saul Micholis cum Davide matrimonium dissolvit, invalide quidem, uti protestatus est David 2 Reg. 3, 14. — Initio narrationis Samuelis mors commemoratur, vel ideo solum quod eo ipso tempore contigerit, vel quod ea quoque Sauli quodammodo fuerit occasio in pristinum furorem relabendi, sublato se. magno precatore Samuele (cf. 13, 33), qui sua veluti interposita mediatione ruinam devoti regis consueque cohibuisset.

Cap. XXV v. 1 « *Mortuus est autem Samuel, et congregatus est universus Israel, et planxerunt eum, et sepelierunt eum in domo sua in Ramatha. Consurgensque David descendit in desertum Pharan* ». Num sponte convenit populus, an a Saul convocatus, qui studuerit solemnibus exsequiis neglectum vivi prophetae resarcire? Videtur Samuel in luctu et oratione pro Saule (cf. 15, 33) perseverasse, suis orationibus Davidem veluti (cf. 22, 5) in regione Hebraeorum detinuisse; his orationibus cessantibus, mox David a Iudaea, divina miseratione a Saule recessit.

Cum 28, 3 dicatur Samuel sepultus esse in *Ramatha urbe sua*, non absolum videtur, per *domum* h. l. urbem intelligi; cf. multa urbium nomina, composita cum בית. Clair putat, domum h. l. intelligi aulam vel hortum domui adiacentem; recurrit ad 2 Par. 33, 20, ubi qui 4 Reg. 21, 18 dicebatur sepultus esse in horto domus suae, refertur sepultus esse in domo. — *Pharan* certe non intelligitur magnam desertum Pharan, Palaestinam inter et Aegyptum, hoc enim longius aberat. LXX legunt Maon, et consonat v. 2. Nota tamen loco, qui nunc Wadi Charetan aedit, ad meridiem Bethlehem, nomen antiquitus fuisse Pharan. In hac valle Pharan aliquamdiu delituit Simon Giora (*Jos. Bell. iud. IV. 9.4*); postea S. Chariton ib. anachoretis praefuit. Cf. R. Hess Bibelatlas, Freiburg i. B. — Reliquiae Samuelis a *Hier.* (23, 343) feruntur esse in Thraciam, inde teste *Nicephoro Callisto* (146. 1090) Constantinopolim translatae.

v. 2 « *Erat autem vir quispiam in solitudine Maon* » (23, 23), « *et possessio eius in Carmelo* », in urbe Carmel 13, 12; los. 13, 33, habitatio a loco pascuorum distinguitur; « *et homo ille magnus nimis; erantque ei oves tria millia, et mille caprae; et accidit, ut tonderetur grex eius in Carmelo* ». v. 3 « *Nomen autem viri illius erat Nabal, et nomen uxoris eius Abigail; eratque mulier illa prudentissima et speciosa, porro vir eius durus et pessimus et qualitiosus; erat autem de genere Caleb* ».

Magnus i. e. opulentus. — Hebr. et intererat tonsurae ovium Carmelae, נָדָוּ עִמּוּ Welth. refer ad Nabal; si vox sumatur impersonaliter et factum est, v. 3 concipiendus erit ut parenthesis. — Keil putat Nabal (nebulo) esse merum cognomen, aliud fuisse viri nomen; sed cum solo cognomine appellari dicemus virum 2 Reg. 2, 2; 3, 3, quibus locis ex officio Davidis familia recensetur? — Hebr. durus moribusque malus; illa naturalis dispositio, haec acquisita. Keri כָּלְבִי, Vulg., Chald. scribuntur ex Caleb progenitum, qui ea in regione partem nactus erat los. 13, 13 sqq. Kethib כָּלְבִי LXX Syr. derivabant כָּלְבִי canis: ergo moribus caninis. At נָדָוּ, inter hanc vocem et priora insertum, indicat non iam vitium morale exprimi (Then.).

v. 4 « *Cum ergo audisset David in deserto, quod tonderet Nabal gregem suum* », qua occasione festivitas instituebatur, cf. 2 Reg. 13, 23, atque, uti ex v. 7 colligi videtur, quicunque de familia fuerant bene meriti, aliquid sibi doni expetere consueverant, uti nunc ipsum quibusdam locis ineunte anno fieri consuevit, v. 5 « *misit decem iuvenes, et dixit eis: Ascendite in Carmelum, et venietis ad Nabal, et salutabitis eum ex nomine meo pacifice* ». Decem mittuntur, vel ut eo numero Nabal honoretur, vel ut David digne representetur, vel quod is numerus ad eam, quae expectaretur donorum molem asportandam sufficere videretur. v. 6 « *Et dicetis: Sit fratribus meis et tibi pax, et domui tuae pax, et omnibus, quaecumque habes, sit pax* ».

נָדָוּ — Vulg. negligens accentum et duram supponens contractionem, נָדָוּ, veritū fratribus meis. Welth., eadem contractione retenta, sed accentu observato et roce cum praecedentibus iuncta: « *Sic dicetis fratri meo* », se. Nabal; sed v. 8 David se filium Nabal, non fratrem profiteretur. Melius reliqui per vitam vel ad vitam. Quod explicat los.: « *precaur, ut in multis annos idem facere illi daretur* », se. oves tondere; seu simpliciter « *ad multos annos* »! — Ergo verte: *Vivas!* Tam tibi pax, quam domui tuae pax, et omnibus, quae habes, pax.

v. 7 « *Audivi, quod tonderent pastores tui, qui erant nobiscum in deserto. Nunquam eis molesti fuimus, nec aliquando defuit quidquam eis de grege omni tempore, quo fuerunt nobiscum in Carmelo* ». Verbum כָּלְבִי habes 20, 34. His cum 23, 4 collatis doceatur unam aliquam rationem, qua David sibi et suis de annona providere consueverat. Pacificae cum incolis agebat, a rapina illos defendebat, dein opportunis tenu-

poribus aliquid doni gratuiti amicissime requirebat, quod non facile quid viro sexcentis viris armatis stipato negaverit. Praeterea licet supponere, plerosque de tribu Iuda ipsi contribuli fuisse, et exempla Ziphaeorum et Nabal exceptiones fuisse, non regulam. Ceterum Saul, quae in remotis illis atque desertis regni tractibus flebant, ignorabat, secus enim rem periculo vacuam non fuisse futuram, docet exemplum Achimelech 22, 11 sq. — v. 8 « *Interroga pueros tuos, et indicabunt tibi. Nunc ergo inveniant pueri tui* » — pueri Davidis, Hebr. suffixum ignorat — « *gratiam in oculis tuis; in die enim bona* », i. e. festiva, largitionibus faciendis prae ceteris apta, « *venimus. Quodcumque invenerit manus tua, da servis tuis et filio tuo David* ». Affectuosa appellatione hominem durum conciliare studet. v. 9 « *Cumque venissent pueri David, locuti sunt ad Nabal omnia verba haec ex nomine David, et siluerunt* ». Ita etiam Chald. veritū Hebr. et quieverunt. Keil et condescendit; sed num moris erat, ut nuntius, responso neque expectato, consideret? v. 10 « *Respondens autem Nabal pueris David, ait: Quis est David? et quis est filius Isai?* » Cf. Ex. 3, 2: « *Quis est Dominus, ut audiam vocem eius?* » Non novi neque David, neque stirpem eius; amicitiae ostensionem detrecto; filius Isai non est filius meus. « *Hodie increverunt* » sc. numero « *servi, qui fugiunt dominos suos* ». Indignus est David, quem ut amicum tractem; insuper alii innumeri eadem mihi ratione tractandi essent. Sanct.: « *Haec non ad Davidem solum spectant, sed etiam ad Davidis socios, quos servos appellat fugitivos; et tamen reges videri volunt et aliis imperare, quae sibi ad victum vitaeque subsidium necessaria sunt* ». v. 11 « *Tollam ergo panes meos et aquas meas et carnes pecorum, quae occidi tonsoribus meis, et dabo viris, quos nescio unde sint?* » Aquas recte veritū potum Chald.; LXX vinum; Clair: « *Tollam ergo cibum meum et potum meum* » v. 12 « *Regressi sunt itaque pueri David per viam suam, et reversi venerunt et nuntiaverunt ei omnia verba, quae dixerat* ». v. 13 « *Tunc ait David pueris suis: Accingatur unusquisque gladio suo* ». Ipsa dictionis concinnitas ostendit, quantopere David eo nuntio fuerit incensus. « *Et accincti sunt singuli gladiis suis, accinctusque est et David ense suo, et secuti sunt David quasi quadringenti viri, porro ducenti remanserunt ad sarcinas* ».

Sane David ira abripietur, eiusque consilium communiter ab interpretibus peccati argui, merito ad v. 26 et 35 affirmat Sanct. Cum Davidis regia unctio a populo ignoraretur, aut certe Saul nondum esset regno privatus, non erat culpandus Nabal, quod eum servum profugum reputaret. Usus quidem erat Nabal verbis iniuriis, sed perperam David eorum poenam suis ipse manibus exigere conatus est, qui nulla ipse tum publica auctoritate insignitus esset. Quid ergo?

Oportuit, huius etiam causae iudicium Domino deferre, cf. 24, 13, 16; uti enim regis persona sacra est, ita et civium personae suam habent inviolabilitatem.

v. 14 « *Abigail autem, uxori Nabal, nuntiavit unis de pueris suis dicens: Ecce David misit nuntios de deserto, ut benedicerent domino nostro, et aversatus est eos* », Hebr. *irruit in eos*, sc. verbis, invecus est in eos, cf. 14, 32; 13, 19. v. 15 « *Homines isti boni satis fuerunt nobis, et non molesti, nec quidquam aliquando perit omni tempore, quo fuimus conversati cum eis in deserto* ». Hebr. *quo fuimus conversati cum eis, dum versabamur in deserto*; ultimum vero incisum dum etc. LXX Syr. trahunt ad sequentia. v. 16 « *Pro muro erant nobis tam in nocte quam in die* », defendentes nos contra praedatores deserti, « *omnibus diebus, quibus pavimus apud eos greges* ». v. 17 « *Quam ob rem considera et recogita, quid facias, quoniam completa est malitia* », decretum est malum (cf. 20, 9) a Davide, « *adversum virum tuum, et adversum domum tuam; et ipse est filius Belial, ita ut nemo possit ei loqui* »; quam ob causam ego te alloquor. v. 18 « *Festinavit igitur Abigail, et tulit ducentos panes, et duos utres vini, et quinque arietes coctos, et quinque sata polentae, et centum ligaturas uvae passae, et ducentas massas caricarum, et posuit super asinos* ». Sanct.: « *Quae omnia, ut apparet, pro se suisque Nabal ad splendidum illud tonsoriumque convivium abundanter paraverat* ». Advertit Welth., haec omnia non fuisse destinata ad epulum sexcentis Davidis sociis instruendum, ad hoc enim nequaquam sufficissent, sed ad instar doni, quale ipse v. 8 expectat.

סָאִים, *sata*, σάτων, a סָאָה derivatum, aequat 13' 13 lit. (Schrader ap. Riehm); res tamen non est certa. — *Polentae* i. e. frumenti tostī, cf. 17, 17. — *Centum uvae passae*. צִבּוּק non videtur esse caseus (Syr.), cum sit cibus, quem milites 30, 12 in itinere citissimo secum ferunt cum ficis passis; ergo est aliquod genus fructus, et quidem uvae (Vulg. LXX Chald.). Etiam secus cum ficis passis nominatur 2 Reg. 16, 1; 1 Par. 12, 40. Non videtur fuisse magnae molis, cum Aegyptius exanimis 30, 12, praeter fragmen palathae, reficiatur duobus צִבּוּקִים. Teste Ges. apud Venetas hodieum uvae passae « *simmuchi* » audiunt. *Ducentas massas caricarum*, alias palathas dictas. Eae ex ficis conficiebantur 4 Reg. 20, 7, non tamen singulis constabant ficis 1 Reg. 30, 12; putant auctores fuisse genus quoddam « *marmelade* ». Certe singulae palathae exiguae molis erant, cum Iudith 10, 5, praeter alia nonnulla, palathas numero plures uni ancillae portandas imposuerit.

v. 19 « *Dixitque pueris suis: Praecedite me, ecce ego post tergum sequar vos. Viro autem suo Nabal non indicavit* ». Etiam secus munera ad placandam iram oblata praemittebantur, cf. Gen. 32, 16 sqq. v. 20 « *Cum ergo ascendisset asinum, et descenderet ad radices montis, David et viri eius descendebant in occursum eius, quibus et illa occurrit* ».

Verte: Et factum est, cum ipsa asino insidens descenderet per abdita montis, ecce David et viri eius descendeabant in occursum eius, et illa impigit in eos; ita subito, ut iam simul essent, antequam potuissent consilium capere, vellente colloqui, necne; unde David v. 21 primum in acerbis querelas prorupit. Si vocem *descendere* premas, oportebit dicere, occursum locum habuisse in aliquo saltu inter duos colles, quo utriusque simul descenderint. Abdita montis intellige loca, quibus vel conferentis arboribus, vel tramitis sinuositate prospectus interciperetur. v. 21 « *Et ait David: Vere frustra servavi omnia, quae huius erant in deserto, et non perit quidquam de cunctis, quae ad eum pertinebant: et reddidit mihi malum pro bono* ». Videtur David primum supposuisse, haec sibi dona Nabalis nomine offerri, quem errore v. 25 corrigit Abigail. Hinc conqueritur, se frustra obsequium praestitisse, non quasi quaesitis donis esset frustratus, nam haec tandem aderant, sed quod intenderit officii viri amicitiam conciliare. v. 22 « *Haec faciat Deus inimicis David, et haec addat, si reliquero de omnibus, quae ad ipsum pertinent, usque mane mingentem ad parietem* ».

*Haec rursum et rursum faciat Deus* — sed cui? Sensum ex natura rei unice verum exhibent LXX Syr. scribentes *David*, nam formula haec sollemnis est, qua quis sibi malum imprecatur, non aliis. Sed Hebr. Vulg. Chald. *inimicis David*, quae lectio ob datam rationem vera esse non potest; quomodo orta sit, inquirendum. *Calm.*: « *Reputandum est igitur, hac iurandi formula David imprecari quidem sibi mala omnia, nisi de Nabal exigat ultionem; sed mali omnis evitandi gratia, nomine suo omisso, inimicorum suorum nomen substituisse* ». Quid effugium, Rabbini quidem familiare, Davide certe indignum erat. Unde commode emendavit hanc explicationem Welth., statuens, *inimicos* pie a scribis hebraeis esse suppletos, ne imprecatio videretur in ipsius Davidis caput converti, iurata caede non perfecta. Sed tandem, cum עֲבָדוּ (Syr.) et אֵיבֵי non ita difficile permulcentur, quid vetat, quominus Syri lectionem *servo suo David* genuinam, et ex ea Hebr. Vulg. Chald. derivatum esse statuiamus? — *Kethib*, Chald. עַד אוֹר הַבְּקֵר, usque ad lucem matutinam, reduplicatione et corruptione orta lectio ex עַד הַבְּקֵר, « *usque mane* »; plurimi etiam codices hebr. sequuntur *keri*, cf. *Rossi*. — Expressio de « *mingente ad parietem* » etiam recurrit de domo Ieroboam 3 Reg. 14, 10, de domo Basa 16, 11, de domo Achab 21, 21 et 4 Reg. 9, 8. Non intelligitur canis (*Arabs*, *Kimchi*), quia id de solis canibus maribus intelligeretur, neque quadrant, quae locis citatis adduntur de « *propinquis* » etc. Intelligitur quisvis homo sextus masculini (Bochart 1. 674 sqq., *Rabbi Levi*), soli enim maris in expeditionibus, qualem susceperat David, exterminari consueverant.

v. 23 « *Cum autem vidisset Abigail David, festinavit, et descendit de asino, et procidit coram David super faciem suam, et adoravit super terram* », v. 24 « *et cecidit ad pedes eius, et dixit* »: — Prima salutatio semper ex aliqua distantia fiebat, unde Abigail, a prima prostratione consurgens, propius accessit, et rursum ad pedes David supplex procubuit. Non est necesse cum LXX legere et adoravit super terram

ad pedes eius.—*«In me sit, domine mi, haec iniquitas»*. A me exigatur ratio eorum, quae acta sunt, cum Nabal ob stultitiam reddendae rationi impar sit. *Sanct.*: «Personam removet turpem, et honestam inducit». Nota tamen, Abigail solum postulare, ut iniuria sibi adscribatur, et excusanda vel luenda permittatur, non autem affirmare, a se esse commissam: unde perperam *Clair* affirmat mulierem sibi postea contradicere, ubi se facti ignaram fuisse contendat. «*Loquatur, obsecro, ancilla tua in auribus tuis, et audi verba famulae tuae»*. David, loquentem non interruptens, foeminae veniam concedit loquendi ostenditque, se excusationem, si quae proferri queat, paratum esse recipere. v. 25 «*Ne ponat, oro, dominus meus rex»* — vocem *rex* reliqui textus ignorant omnes — «*cor suum super virum istum iniquum Nabal, quoniam secundum nomen suum stultus est, et stultitia est cum eo; ego autem ancilla tua non vidi pueros tuos, domine mi, quos misisti»*. Argumentatur Abigail hoc modo: a Nabal, utpote stulto, factorum ratio exigi non poterat; mearum partium fuerat, pro stulto marito tuis pueris respondere; ast, qui id praestare potui, cum illos ne conspexerim quidem? ab omni igitur culpa liberanda sum. Nota cum *Sanct.*, haec verba, licet in Nabalem dura sint, a sceleris tamen gravitate illum excusare. Adverte assonantiam inter nomen Nabal et stultitiae etymon. v. 26 «*Nunc ergo, domine mi, vivit Dominus et vivit anima tua, qui prohibuit te, ne venires in sanguinem, et salvavit manum tuam tibi»*. Abigail tacite supponit, Davidem ipsi ea, quae illa ignara essent acta, vitio non vertere, et extollit benevolam Dei providentiam, qua ipsa Davidi occurrit atque ita iniustam sanguinis effusionem praeventit.

Putat *Vatabl.*, iuramenti formula priora confirmari, sc. Abigail adventum puerorum ignorasse; verum *Nunc ergo* novum utique inducit argumentum. — *Ne venires in sanguinem* commode vertit *Aq.* «ne sanguinis reus fieres». Pro et *salvavit manum tuam tibi* verte eadem ratione, atque v. 31, et *ulciscaris te manu tua*.

«*Et nunc fiant sicut Nabal inimici tui, et qui quaerunt domino meo malum»*. Magis sibi devincit Davidem Abigail, imprecata inimicis eius mala: Sicut Nabal plectantur stultitia. Sensus non est: Pereant sicut Nabal; nam mariti interitum exoptare uxorem non decebat, nec praesciebat Abigail, qua ratione paucis diebus post misere periturus esset Nabal. Abunde punitus est Nabal, si qua illi poena ferenda, ipsa sua stultitia. Sequens sententia apud *Hebr.* incipit voce et *nunc*. v. 27 «*Quapropter suscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi, domino meo, et da pueris, qui sequuntur te, dominum meum»*. *Clair*: «Ante veniam (v. 28) implorandam, Abigail demulcere studet Davidem, primum ostendens, a Deo se illi obviam missam esse ad praeve-

nendam caedem, dein poenas apprecans inimicis eius, tandem allata dona offerens». Quae dona, non Davidis usui directe assignat, quasi eius dignitate inferiora, sed puerorum, etiam horum animos demulcere anxia. *Benedictio* (cf. 2 Cor. 9, 5 εὐλογίαν) vocatur donum, non tam quod donans simul bona quaeque apprecretur recipienti, sed quod sit benedictio a Deo accepta, ideoque aptissima, quae alteri dono conferatur: cf. Gen. 33, 11. Iam sequitur veniae petitio, vel potius absolutionis a crimine, cuius neque Abigail rea fuit, neque Nabal reus esse potuit. v. 28 «*Aufer iniquitatem famulae tuae. Faciens enim faciet Dominus tibi, domino meo, domum fidelem, quia proelia Domini, domine mi, tu procliaris. Malitia ergo non inveniatur in te omnibus diebus vitae tuae»*. Verte optativo *Faciens faciat*; supplicationem illico fulcit Abigail benedictionis appreciatione. Expressionem habes 2, 33. Sequentia ita iunge: *et (quia) malitia non inveniatur in te cunctis diebus vitae tuae*, sc. quibus procliaris et quamvis procliaris. Eiusmodi expressiones universales non sunt premendae, nec quidquam propheticum in nostra haec latet. David in vita castrensi innocentiam servavit; proelia Domini procliarus est, tum quamdiu a Saule imperio militari honoratus est, tum exil Ceilam liberans et pastores Hebraeos a praedatoribus vindicans; dignus igitur est, qui speciali ratione a Deo remuneretur. Ad movendum Davidis animum aptissima erat apprecatio *Faciat tibi Dominus domum permanentem*, cuius tota tum familia et possessio Saulis invidia misere esset disiecta. v. 29 «*Si enim surreverit aliquando homo persequens te et quaerens animam tuam, erit anima domini mei custodia quasi in fasciculo viventium apud Dominum Deum tuum; porro inimicorum tuorum anima rotabitur, quasi in impetu et circulo fundae»*. Tolle enim, et pro futuro scribe optativum. *Vulg.* post בָּרַךְ videtur legisse copulam, vel pro בָּרַךְ legebat: בָּרַךְ: hinc *in impetu et*. Reliqui omnes *in medio cavitatis fundae*. Erat cavitatis in funda, cui inserebatur lapis. בָּרַךְ usurpatur de crumena Gen. 42, 33; Prov. 7, 20; de fasciculo odoramentorum Cant. 4, 12 (13). Malim hunc alterum sensum h. l. retinere. Iusti sunt veluti fasciculus odoramentorum, quem Dominus in sinu suo repositum habet. Porro soli iusti vere vivunt, vita sc. gratiae. Verba proxime respiciunt vitam temporalem, non tamen excluditur vita aeterna: *thesaurizabis eos in thesauro vitae aeternae (Chald.)*. Verum antithesis momentum non est in voce *viventium*, quasi David nullis inimicorum conatibus interimendus sit; secus in altera antithesis parte mortem inimicorum efferri oporteret. Est oppositio inter statum quietis, et statum quietis expertem. Inimicos David circumagat Deus, sicut lapis a fundatore circumagitur; non est sermo de lapide e funda proiciendo; David autem veluti in sinu Domini requiescat, et secura fruatur vita.

v. 30 « Cum ergo fecerit Dominus tibi, domino meo, omnia, quae locutus est bona de te, et constituerit te ducem super Israel », v. 31 « non erit tibi hoc in singultum et in scrupulum cordis domino meo, quod effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te ultus fueris ». Demulset Davidem Abigail, tum principatum, ad quem evehendus sit, extollens, tum conscientiae pacem, qua ex adhibita nunc moderatione fruiturus sit. Percrebuerant iam, quae Davidi promissa fuerant, sive per prophetas, sive per eius fratres 16, 13, sive per Ionatham vel Saulem. « Et cum benefecerit Dominus domino meo, recordaberis ancillae tuae ». Non specialem aliquam gratiam sibi exoptulat, sed, cum David divina institutione regnaturus sit, ipsa de benedictionibus regni eius participare desiderat. Aliam peraptam explicationem adstruit Sanct.; « tunc cogitaturum esse Davidem, cum ad regiam sedem sublatus fuerit, quam hoc documentum fuerit opportunum, quo nunc ab effundendo innoxio sanguine revocatus est ».

Cum ergo : כִּי ה. I. omnes versiones intelligunt temporale. — Hebr. et in effusionem sanguinis innoxii, etc. : sed eam copulam merito ignorant Vulg. LXX Chald. — In singultum et in scrupulum, utraque vox idem significat : ergo vel sacer auctor scripsit כִּי הָיָא בְּפִי, vel solam scripsit וְכִּי הָיָא, alias non usitatam, cuius explicandae gratia quidam in margine adscripsit בְּכִשְׁרֵי, quae dein additio in textum penetravit.

v. 32 « Et ait David ad Abigail : Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit hodie te in occursum meum, et benedictum eloquium tuum », Hebr. sapientia tua (cf. v. 3), quae, Deo ita providente, iter tuum direxit, v. 33 « et benedicta tu, quae prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem », sanguinis reus fierem (v. 26), « et ulciscerer me manu mea ». v. 34 « Alioquin vidit Dominus Deus Israel, qui prohibuit me, ne malum facerem tibi : nisi cito venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal usque ad lucem matutinam mingens ad parietem ». Cf. v. 22. v. 35 « Suscepit ergo David de manu eius omnia, quae attulerat ei, dixitque ei : Vade pacifice in domum tuam, ecce audivi vocem tuam, et honoravi faciem tuam », quam in terram (v. 23) supplex demiseras. Hebr. elevavi faciem tuam ; oppositum confundere faciem 3 Reg. 2, 16. 20.

v. 36 « Venit autem Abigail ad Nabal », cui ne verbum indicaverat v. 19, quique tam erat stolidus, ut, post tantam Davidi illatam iniuriam, incurius epularetur ; « et ecce, erat ei convivium », Hebr. compotatio, « in domo eius, quasi convivium regis », excellentia et abundantia ciborum et potus, ubi cf. sordidam v. 1 parcimoniam ; « et cor Nabal incundum », Hebr. hilare super illud sc. convivium, « erat enim ebrius nimis ». Qualis maritus mulieris prudentia et forma eximiae ! « Et non

indicavit ei verbum pusillum aut grande usque mane » ; quod ipsum erat tempus, quo ei v. 22. 34 misere fuerat pereundum, nulla salutis possibilitate relicta ; sed periculum averterat uxor. v. 37 « Diluculo autem, cum digessisset vinum Nabal, indicavit ei uxor sua verba haec, et emortuum est cor eius intrinsecus, et factus est quasi lapis », ictus apoplexia (Then.). Quare ? propter periculum, in quo fuerat, ne ebrius occideretur (Sanct.) ; ob animi aegritudinem, quod sola uxoris prudentia stultitiae poenam evasisset (Keil). v. 38 « Cumque pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, et mortuus est », repetito apoplexiae ictu. v. 39 « Quod cum audisset David mortuum Nabal, ait : Benedictus Dominus, qui iudicavit causam opprobrii mei de manu Nabal, et servum suum custodivit a malo », cohibuit ab iniquitate : ergo David non iudicabat, ius sibi fuisse, iniuriae violenter ulciscendae. « El malitiam Nabal reddidit Dominus in caput eius ». Divinae providentiae gubernatio mirabiliter in hoc facto eluxerat. Cum enim David coram Saule praestatio esset, se totum suae causae iudicium Deo permittere (24, 13. 16), cumque, ne hoc excideret proposito, Abigailis adventu esset praeventus, illico Nabal apoplexia correptus corruit, quo se momento David sua manu ulcisci decreverat, et ita causam Davidis iudicavit Deus.

De manu Nabal refertur, non ad opprobrii mei, sed ad vindicavit causam meam, quam expressionem habes 24, 16. Nabal, Davidem servum profugum declarans, de eo suo arbitrato iudicium tulerat, eiusque causam veluti manu apprehenderat. — Sententiam Utique malitiam Nabal etc. Masor. et Vulg. indubie ad orationem Davidis trahunt, non ad sequentem narrationem. Obicit Then., ita vocem « Dominus » abundare. Responde, eam vocem ex iis esse, quae quandoque in textum irrepserunt ; eorum omnem difficultatem tolli, dummodo sententia non cum praecedenti iungatur, sed independenter ad instar exclamationis construat.

« Misit ergo David, et locutus est ad Abigail, ut sumeret eam sibi in uxorem ». Noverat formosam, noverat, quod plus est, prudentia eximiam, piam ; uxorem expetiit, ut deinceps ab illa, ne delinqueret, coliberetur. Erat et alia nuptiarum appetendarum ratio, quod feminam nobilem eius Iudaeae tractus ducens, eius uxorem homines sibi Bethlehemitae devinciret. v. 40 « Et venerunt pueri David ad Abigail in Carmelum », iusto utique luctus tempore elapso, « et locuti sunt ad eam, dicentes : David misit nos ad te, ut accipiat te sibi in uxorem ». Nabalis domus erat in Maon, possessio Carmelae, ubi etiam eo demortuo vidua reperitur, quae 27, 3 ; 1 Par. 3, 1 simpliciter Carmelita appellatur. Fortasse Abigail Carmela erat oriunda, et opes Nabali in matrimonio attulerat, iisdem nunc Davidis causam illustrans et firmans. v. 41 « Quae consurgens adoravit prona in terram, et ait : Ecce fanula tua sit in ancillam, ut lavet pedes servorum domini mei ». Similibus verbis

utitur iis, quibus B. Virgo angeli invitationem acceptavit. Eo usque parata sum Davidis desiderata implere, ut vel servorum eius pedes, si opus sit, lavare non detrectem. Aliter *Ios.*, putans illam indignam se reputasse nuptiis Davidicis, dignam solum, quae servorum pedes lavaret. v. 42 « *Et festinavit et surrexit Abigail, et ascendit super asinum, et quinque puellae ierunt cum ea, pedissequae eius, et secuta est nuntios David, et facta est illi uxor* ». Ita, opinione citius, impleta est Abigailis petitio v. 31, ut David sui recordaretur. *Sanct.*: « Non distulit Abigail postulata complere, neque deterruit a nuptiis aut Davidis inopia, aut sterilis et vasta solitudo, in qua vagus et profugus incertis semper sedibus errabat; neque Saulis potentia, qui nullum non movebat lapidem, ut, quem ambibat coniugem, opprimeret ». Ceterum norat ipsa, illum regem futurum.

v. 43 « *Sed et Achinoam accepit David de Iezrahel; et fuit utraque uxor eius* ». Cf. 27, 3; 30, 5; 2 Reg. 2, 2; 3, 2; 1 Par. 3, 4. Iezrahel h. l. intelligitur, non tribus Issachar *Ios.* 49, 18, sed tribus Iuda *Ios.* 13, 36, haud procul a Maon, Carmela et Ziph sita. Putat *Menoeh.*, Achinoam esse ductam ante Abigail, quod illius filius fuerit primogenitus 2 Reg. 3, 2; 4 Par. 3, 1; sed potuit, quae posterius ducta fuerat, prior gignere filium, altera nullos interim liberos, aut solas feminas edente. v. 44 « *Saul autem dedit Michol, filiam suam, uxorem David, Phalti, filio Lais, qui erat de Gallim* ». 2 Reg. 3, 13 Phaltiel. Lais, civitas tribus Benjamin, haud longe ab Anathoth *Ios.* 10, 33; 2 Reg. 3, 13. Reconciliationem cum Saul cap. 24 narratam aliquamdiu quies subsecuta est, qua usus est David ad rem familiarem nuptiis stabilendam. Duplicibus vero Davidis incensus nuptiis, rediit iam Saul ad pristinas insidias, abente se Davide in priora latibula. Saul, ubi ille versaretur, a Ziphacis dicit, ultro fortasse obsequium obrudentibus, resumente animos tota tam in aula quam per regionem Davidi adversa factione. Quid mirum, ex rebus tam analogis ortum esse eventum, cap. 26 narrandum, alteri cap. 24 narrato valde similem, neque tamen eundem?—Ceterum v. 44 etiam sic verti potest: *Dederat autem Saul Michol etc.* Sic ipse Saul, nullo accepto praetextu, Davidi iniuriam intulisset ablata uxore; is vicissim in locum unius regia stirpe ortae duas substituisset honesto et opulento loco natas.

ARG. — Saul Davidem rursus insecutus in colle Hachila castra ponit. Quo noctu penetrans David regem quidem interimere recusat, hastam vero et scyphum aufert. Dein ex adversa rupe somno sopitos compellans divinum iis, qui regem in se incitaverint, iram imprecatur, suumque simul consilium aperit excedendi tandem terra sancta.

Cap. XXVI v. 1 « *Et venerunt Ziphacae ad Saul in Gabaa, dicentes:*

*Ecce David absconditus est in colle Hachila, quae est ex adverso solitudinis* ». *Hebr. a facie*, 23, 19 *ad dexteram*, i. e. ad meridiem deserti, uti ib. explicavimus. v. 2 « *Et surrexit Saul, et descendit in desertum Ziph, et cum eo tria millia virorum de electis Israel, ut quaereret David in deserto Ziph* ».

Numerum videtur secum sumpsisse eundem, quem 24, 3: non enim numerus in causa fuerat, cur Davidem non apprehenderit ante. Ceterum ex 13, 2 videtur consuevisse Saul, tria virorum millia etiam pacis tempore secum retinere: ergo, iam 24, 3 quam h. l., duxit adversum David, quotquot secum habebat. Fortasse etiam illa cohors praetoriana, a numero militum primitus illi adscriptorum, dicta est trium millium cohors, licet plures paucioresve haberet milites, sicut postmodum Persarum selecta cohors dicta est decem millium immortalium.

v. 3 « *Et castrametatus est Saul in Gabaa Hachila* », i. e. in colle Hachila cf. v. 1, « *quae erat ex adverso solitudinis, in via* »; *secus viam*, notam aliquam viam, quibus verbis castrorum locum describitur, non collis, cuius situs iam sufficienter describatur. Porro David videtur, colle relicto, penitus in desertum se abdidsisse. « *David autem habitabat in deserto. Videns autem, quod venisset Saul post se in desertum* », v. 4 « *misit exploratores, et didicit, quod illuc venisset certissime* ». *Illuc* addidit *Vulg.* explicationis gratia. כן אר vertunt *Vulg. Chald. certissime*. *Syr.* habet *post se*, si tamen haec vox reapse sit versio vocis hebraicae. Sed quid tandem hoc est: David videns, quod venisset Saul post se, didicit per exploratores, quod venisset post se? vel: Videns David, quod venisset Saul post se, didicit, quod venisset certissime? LXX ερωμας εχ Κειλζ, ubi ερωμας est versio vocis כן אר, omisso אר, et εχ Κειλζ probabilius est corruptio aliqua utriusque vocis. Ceterum expressio hebr. etiam verti potest: in locum paratum, vel in locum erectum, prominentem, in promontorium (?). v. 5 « *Et surrexit David clam, et venit ad locum, ubi erat Saul, cumque vidisset locum, in quo dormiebat Saul et Abner, filius Ner, princeps militiae eius, et Saulem dormientem in tentorio, et reliquum vulgus per circuitum eius* », v. 6 « *ait David ad Achimelech Hethaem et Abisai, filium Sarviae, fratrem Ioab, dicens: Quis descendit mecum ad Saul in castra? Dirigit Abisai: Ego descendam tecum* ». Invitatio ad utrumque dirigebatur, sed Achimelech, hoc solo loco nominatus, videtur illam silentio declinasse, indignus porro, cuius nomen inter heroas David recensetur.

*Clam soli Vulg. LXX* habent; non tamen sensu caret ea vox (*Wellh.*), cum potuerit David clam reliquis suis sociis proficisci. — כענל, quod *Vulg.* recte verit *tentorium*, ab כנל rotundum esse, *Chald.* verit *circumvallatio*, כעל « arx plaustrorum »: sed mirum est, Saulem intra circumvallationem vel arcem dormivisse, reliquos omnes

extra eandem. Cf. dicta ad 17, 20. — *Hebr. et respondit David ad Achimelech*: כִּנְיָ cum sequente כִּנְיָ usurpatur etiam Deut. 21, 7; 26, 5, nulla praecedente interrogatio, quamvis vel in eiusmodi locis respondendi significatio non penitus desideratio: Achimelech et Abisai, silentio adstantes Davidi, dum castra Saulis observaret, ipsa praesentia et obtutu, quid factu opus esset, interrogabant. — Saruia, soror David I Par. 2, 16, eo utique longe maior nata, mater item fuit Asnelis.

v. 7 « Venerunt ergo David et Abisai ad populum nocte, et invenerunt Saul iacentem et dormientem in tentorio, et hastam fixam in terra ad caput eius, Abner autem et populum dormientes in circuitu eius ». Fixa erat hasta ad caput, ut illico eam prehendere posset rex in nocturno tumultu; non (*Keil*), ut qua sceptrum indicaret, ubinam decumberet rex, id enim indicabat ipsum tentorium, cf. Iudith 13, 8. v. 8 « Dixitque Abisai ad David : conclusit Deus inimicum tuum hodie in manus tuas; nunc ergo perfodiam eum lancea in terra semel, et secundo opus non erit », *Hebr. et non iterabo ei ictum. Hebr. feriam eum lancea et in terra*, quod recte uti *Vulg.* vertunt LXX *Chald.* — v. 9 « Et dixit David ad Abisai : Ne interficias eum; quis enim extendet manum suam in christum Domini, et innocens erit? » Verbum כִּנְיָ sensu translato, uti videtur, proxime exemptionem a poena significat, et non nisi consequenter a culpa: Ex. 21, 19; Num. 5, 31; Ps. 18 (19), 44; Iud. 13, 3. v. 10 « Et dixit David : Vivit Dominus, quia, nisi Dominus percusserit eum, aut dies eius venerit, ut moriatur, aut in proelium descendens perierit », v. 11 « propitius sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in christum Domini ». Oppositio est inter varias causas mortis: nisi morbo (cf. 23, 38) inopinatove eventu interiierit, aut senio confectus, aut proelio interemptus fuerit (*Theodoret.*), at certe manu mea nunquam peribit. « Nunc igitur tolle hastam, quae est ad caput eius, et scyphum aquae, et abeamus ». v. 12 « Tulit igitur David », de manu Abisai accipiens, « hastam et scyphum aquae, qui erat ad caput Saul, et abierunt. Et non erat quisquam, qui videret et intelligeret et evigilaret, sed omnes dormiebant, quia sopor Domini irruerat super eos ». Cf. Gen. 2, 21.

Ergo etiam scyphus, uti hasta, ad caput regis erat: aqua pro potu universim sumitur, cf. 25, 11 et 3 Reg. 19, 6; perperam igitur *Clair* intelligit vas ablutionibus facientis destinatum. — כִּנְיָ *אישתי* ad caput eius explicant, vel ut substantivum locale adverbialiter positum: e regione capitis; vel ut coalescens e praepos. כִּנְיָ et substantivo ראשתי, quod terminationi plur. fem. superaddit terminationem plur. masc. (*Gen.* 2, 86), ergo: de regione capitis. Alteri huic explicationi favet, h. l. et Ier. 13, 18 response כִּנְיָ subintelligendum esse, quod etiam h. l. expresserunt LXX *Chald. Syr.*, et alios textus 19, 13. 16; 26, 7. 11; 3 Reg. 19, 6; Gen. 28, 11. 18 optime per כִּנְיָ posse explicari. — *Qui videret, aut perciperet, aut evigilaret.* Trium verborum distinctio haec esse potest: quandoque homo somno excitatus distincte videt, quae aguntur; quandoque semisopitus et clausis oculis tamen confuse percipit, aliquid periculi in-

gnere; quandoque strepitu aliquo excitatur, quin ullo modo viderit aut perciperit, quid agatur.

v. 13 « Cumque transcendisset David ex adverso, et tetisset in vertice montis de longe, et esset grande intervallum inter eos », v. 14 « clamavit David ad populum et ad Abner, filium Ner, dicens: Nonne respondetis, Abner? Et respondens Abner, ait: Quis es tu, qui clamas et inquietas regem? » Adverte sermonis concinnitatem, ob locorum distantiam. Clamare כִּנְיָ אֵל non est « clamare ad regem » (*de Wette*), loquitur enim David ad populum et ad Abner, non vero ad regem; sed clamare versus regem seu in caput regis (*Chald.*), ita ut solus sonus, non sensus ad ipsum dirigatur; ergo ita, ut ipse incommodetur (*Vulg.*). — Grande intervallum erat, non necessario linea recta, sed itinere descendente et ascendente, aliquo circuitu fortasse implicato: videtur enim aliqua vallis fuisse interiecta. Locus, ubi constitit David, fere aequo altus fuisse videtur atque ille, ubi castra fixerat Saul, secus difficilius exaudita esset vox. v. 15 « Et ait David ad Abner: Numquid non vir tu es? et quis alius similis tui in Israel? » Vir es prae ceteris robustus et fortis, qui et pugnare et vigilare facili ope queas. « Quare ergo non custodisti dominum tuum regem? Ingressus est enim unus » i. e. aliquis « de turba, ut interficeret regem dominum tuum ». Multum differt haec narratio ab illa cap. 24. Ibi David angebatur animo ob praecisam chlamydis oram, hic lanceam et scyphum audacter aufert; ibi ipsum regem humillime alloquitur, hic ironice militiae principem. v. 16 « Non est bonum hoc, quod fecisti. Vivit Dominus, quoniam filii », i. e. rei, « mortis estis vos, qui non custodistis dominum vestrum, christum Domini. Nunc ergo vide, ubi sit hasta regis, et ubi sit scyphus aquae, qui erat ad caput eius ». Neglectae custodiae accusatio confirmatur tum facto ablatae lanceae et scyphi, tum Davidis notitia eius facti.

v. 17 « Cognovit autem Saul vocem David, et dixit: Numquid vox haec tua, fili mi David? » Iisdem, quibus 24, 17, affectibus movetur Saul. Simul eius, quod iam ex sono vocis cognoverat, confirmationem quaerebat, nam Davidis formam prae tenebris discernere haud valebat. « Et ait David: Vox mea, domine mi rex ». v. 18 « Et ait: Quam ob causam dominus meus persequitur servum suum? Quid feci, aut quod est malum in manu mea? » v. 19 « Nunc ergo audi, oro, domine mi rex, verba servi tui: Si Dominus incitat te adversum me, odoretur sacrificium; si autem filii hominum, maledicti sunt in conspectu Domini, qui ceciderunt me hodie, ut non habitem in haereditate Domini, dicentes: Vade, servi diis alienis ». Rursum attende, quantopere differant haec verba ab iis, quae David cap. 24 ad Saulem loqueba-

tur : ibi regem demulcere, hic magis eundem terrere studet. — David se innocentem esse omnino supponit : ridiculum enim est, si is, qui vere est reus, rogaret regem, ut pro sceleris expiatione sacrificium offerri permittat, et ita rem componat. Ergo non est vertendum cum *Chald. sacrificium meum*, cum de sacrificio, non a Davide, sed a Saule offerendo agatur. Iamvero, Davidis innocentia supposita, duo tantum Davidis animo occurrunt, qui persecutionis instigatores esse possint : Deus aut homines malevoli. Deus ad iniustitiam instigare potest non aliter, quam subtracta gratia, qua tentationi resistatur, hancque non subtrahit, nisi in poenam praevis cuiusdam delicti. Ergo, in hac hypothesis, placendus erit a Saul, oblato aliquo sacrificio : olfaciat igitur Deus sacrificium, (*LXX Syr. olfaciat aliquis, ergo olfiat*). Adverte, quam delicate David innuat, posse aliquid culpa esse in ipso Saul, simul exprimens desiderium, ut ea culpa non puniatur, sed sacrificio eliminetur, omnemque maledictionem pro aliis inimicis reservans. Simul manifestat consilium deserendae *haereditatis Domini*, i. e. terrae sanctae, populi electi, cum suo cultu et ceteris omnibus gratis. Eo tandem, inquit, eorum hominum malitia res iam perducta est, ut consilium inierim terra sancta excedendi ; morali necessitate me expellunt, cum evidenti religionis periculo (*Theodor.*) ; unde equivalenter dicunt : Vade, servi diis alienis.

v. 20 « *Et nunc non effundatur sanguis meus in terram coram Domino* ». Verbis his non vitam deprecatur a Saule (*Menoeh.*), sed propositum abeundi enuntiat : tota oratio nequaquam est deprecatoria. Supple : abibo igitur in terram alienam. Iam assignat rationem, cur illud propositum inierit, quod sc. rex Israel se persequatur, contra quem fas sibi non sit vitam defendere vi : « *Quia egressus est rex Israel, ut quaerat pulicem unum, sicut persequitur perdix in montibus* ». Animal ignobile persequitur, ac si esset nobiliorum illorum animalium aliquod, quod venatores persequi consueverunt.

בַּבַּיִת non est « procul a Domino » (*Then.*), sed *coram Domino* (*Vulg. LXX Chald.*), quem sensum alias etiam praeposito habet. David non vult terram sanctam, in qua Dominus specialiter praesens est, suo sanguine innocente effuso deserari. — *LXX quia egressus est rex Israel, ut quaerat animam meam, sicut persequitur perdix in montibus* ; pro lectione בַּבַּיִת legit פְּרִישׁ אֶדֶן omittit, quae vox non ita raro in s. textum irrepsit. Pro lectione *LXX* inter alia militat particula מֵת, quae bene individuali animae Davidis, non vero indeterminato pulci praesignitur. Perperam igitur recentiores aliqui, ex hoc textu cum 24, 15 collato, officere student, nostro capite idem, quod cap. 24, narrari factum, diversa tamen ratione. — *Persequitur* (*Vulg.*) intelligo passive, uti *Chald.*, punctandum יִרְדֵּךְ, venatione agitur. *Masor. Syr.* יִרְדֵּךְ active : sicut venatur Saul, vel aliquis perdicem. False omnino *LXX* : sicut venatur nycticorax, « quasi conferretur rex cum nycticorace, qui pulices suos caperet » (*Cler.*). — Immerito obicit *Thien.*, perdicem esse camporum anantem, non montium ; ubique enim illa abundat.

v. 21 « *Et ait Saul : Peccavi ; revertere, fili mi David ; nequaquam enim ultra tibi malefaciam, eo quod pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie. Apparet enim, quod stulte egerim, et ignoraverim nullam nimis* ». הַזֶּה errorem significat ex ignorantia commissum, cf. Gen. 43, 12 ; Ps. 18 (19), 13 : adhuc igitur Saul excusare se nititur. v. 22 « *Et respondens David, ait : Ecce hasta regis ; transeat unus de pueris regis, et tollat eam* ». v. 23 « *Dominus autem* », a te enim accepti beneficii retributionem iam non exspecto, « *retribuet unicuique secundum iustitiam suam et fidem : tradidit enim te Dominus hodie in manum meam, et nolui extendere manum meam in christum Domini* ». Iustitia et fidelitas intelligitur Dei. Verba tradidit te Dominus hodie in manum meam, quae etiam 24, 11 habentur, sunt illustratio verborum 23, 14, quae totius huius narrationis tesseram esse montimus : « et non tradidit eum (Davidem) Deus in manus eius ». v. 24 « *Et sicut magnificata est anima* », i. e. vita, « *tua hodie in oculis meis, sic magnificetur anima mea in oculis Domini, et liberet me de omni angustia* ». Omnem fiduciam David in Deo reponit, nullam omnino in promissis Saul. v. 25 « *Ait ergo Saul ad David : Benedictus tu, fili mi, David. Et quidem faciens facies, et potens poteris* ». Verba futuri annuntiationem potius, quam boni appreciationem continent : Benedictus eris, non sis ; certissime perficies, certissime superabis ; cf. 24, 21. « *Abiit autem David in viam suam, et Saul reversus est in locum suum* ».

#### PARS III. DAVID INTER PHILISTHAEOS EXUL I REG. 27-31.

ARG. — Historicus eventus narrantur, neque tamen sine arte. Sublato Samuele, cuius precibus ruina domus Saul eousque differebatur, excedit regione David et, qua erat prudentia, Gethaorum brevi favorem sibi conciliat ; Saul, in extremam abreptus vesaniam, quae vivum neglexerat prophetam, mortuum evocare attentat. Dein David, a Philisthaeis ex acie dimissus, Amalecitas praedones consequitur atque fundit, atque sic eo ipso tempore victoria clarescit, quo Saul cum filiis infelici proelio occumbit. Ita David ipsis eventibus, Deo providente, successor designatur, a quo uno reipublicae salus speranda sit.

#### 1) David secedit ad Achis I Reg. 27, 1-12.

Cap. XXVII v. 1 « *Et ait David in corde suo : Aliquando incidam una die in manus Saul,* » — *Hebr. perdar in manus Saul* — : « *nonne melius est, ut fugiam et salvoer in terra Philistinorum, ut desperet Saul, cessetque me quaerere in cunctis finibus Israel ? Fugiam ergo ma-*